



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

Conuenientia, & differentia Idearum. Cap. 6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

in uno duo considerantur termini, unitas, & pulchritudo: Unitas est terminus supremus, tanquam caput subsequentium: Pulchritudo est terminus postremus, tanquam fulgor mediorum postremò consurgens.

Conuenientia, & Differentia Idearum.

CAP. VI.

 Voniam in mente & vnum, & multitudo, identitas, ac alteritas inueniuntur; propterea etiam Ideæ inter se conueniunt, & distinguuntur. Conueniunt primò, ratione initij, à quo pendunt: omnes enim fluunt ab uno: conueniunt secundò, ratione mentis; omnes enim in mente reperiuntur: conueniunt tertio, ratione finis, & usum, quos præbent; omnes enim cōsimiles præbent usum: quartò conueniunt Ideæ, quia à sola mente exactè apprehenduntur, ab anima vero solum eatenus attinguntur, quatenus mente participat, & cum ea iungitur. Demum conueniunt, quoniam quælibet Idea est essentia viua, intelligentia, intelligibilis, verè ens, forma, & actus virtute imitabili prædictus. Cum autem Idea omnis sit imitabilis, dum exactè imitatur, recteque sine impedimento in materia exprimitur, pulchritudo consurgit; dum contrà, deformitas: nam pulchritudo in corporibus, est exacta Ideæ imitatio, ad similitudinem, adeo, ut, subtracta materia, ad Ideam eleuemur. Ex quo constat, veram pulchritudinem

dinem non sensu, sed mente cognosci; & um-
bram pulchritudinis esse natam nos eleuare à
sensu ad mentem: materiam verò esse origi-
nem deformitatis. Dum dicimus Ideas com-
municari, vel participari, non est putandum
corporeo modo id fieri, & per partes, & cum
diminutione; sed modo incorporeo: non se-
cùs ac à sensibili sua actio communicatur sen-
sibus, & à luce lumen perspicuo. Distinguun-
tur Ideæ inter se, non sola nostra cogitatione,
sed ex natura rei, & formaliter: quod ex eo ma-
xime patet: quoniam ordo graduum, & parti-
cationum inde pendentium, non ex casu,
fortuitóve concursu; sed ex originalium for-
marum distinctione pendet. In mente ita di-
stinguuntur Ideæ inter se, ut in semine vis for-
mandi caput à virtute formandi manum; & in
anima ratio intelligendi leonem à ratione in-
telligendi ceruum. In prima tamen mente nō
secùs sunt simul Ideæ diuersæ, ac in Sole sint
simul diuersi radij, in cetro circuli variæ lineæ.
Et quemadmodum lineæ, & radij: quò magis
distant à centro, vel à Sole; magis quoque di-
stant inter se: ita sensim magis distinguuntur
Ideæ, quò longius à mente recedunt: adeò ut
demum in materia etiam magnitudine, & lo-
co inter se distinguantur. Arist. in 12. Metaph.
ob ordinem vniuersi, etiam in Duce, & Prin-
cipe ordinem considerauit: at ordo Peripate-
ticus est ordo eminentiæ, hic verò formalis.